

12
ARTICULI

de
NOTITIA DEI REVELATA
IN GENERE,
ANALYSIS & APODIXIS,

h. c.

DEFINITIO NOTITIÆ DEI
REVELATÆ KONIGIANA,

succinctè resoluta,

&

Dicto Biblico gemino, eoqve præcipuo, tum

Vis. tum Nⁱ Ti,

scil. Esai. LIII. II. & Joh. XVII. 3. descripto,

comprobata,

exindeq; per singulas partes eruta,

in Gymnasio THORUNIENSI

Lectionis Ordinariæ loco hæctenus *proposita*,

nunc autem

publicæ ventilationi

In Auditorio Maximo a. d.

A. C. M. DC. XXCVIII. instituendæ

exposita,

P R Æ S I D E

PAULO HOFMANNO SS. Theol. D.

& Prof. P. Ecclesiarum *synclias* Evangelicarum,

quæ sunt THORUNII, Seniore, Templi Ma-

riani Pastore, dictiq; Gymn. Rectore, & c.

& Respondente

Petro Baystrup Dantiscano.

THORUNII imprimebat CHRISTIANUS BEKK, Gymn. Typogr.

VIRIS

PLURIMUM REVERENDO, EXCELLEN-
TISSIMIS, DOCTISSIMIS, SPECTATISSIMIS,

DN. SAMUELI SCHELGUIGIO,

S.S. Theol. D. & P. P. Athenæi Ged. Rectori
& ad S. S. Trinit. Pastori meritissimo,

DN. OTTONI DIETERICO
VOEGEDING,

Med. D. longè Experientissimo, nec non
Reip. Gedan. Proto-Physico ut & Practi-
co longè celeberrimo,

DN. BENJAMINO Wulff /

DN. JOHANNI Hiller /

Centumviris

Reip. Gedanensis Gravissimis,

Nec non

DN. JACOBO HADERSCLEFF,

Civi Civitatis Gedanensis *Aradexa* meo
florentissimo,
venerando

PATRONIS, PROMOTORIBUS
ac FAUTORIBUS SUIS
æternùm colendis

*Specimen hœc Theologicum in sui suorumq; Studiorum
commendationem observantissimè*

D. D. C.

Petrus Baystrup. Ged.

I. N. J!

P R O O E M I U M.

Quòd *DEI Notitia* homini Christiano sum-
nè sit necessaria, adeoq; in magno haben-
da pretio, vel inde patet, quòd, dicente Hieronymo,
omnis homo absque notitia sui creatoris pecus sit, imò, quòd ex Esai.
1, 3. colligimus, pecude inferior & deterior; & quòd, juxta Phi-
lonem, *ignorantia DEI a uadua sit xai xania evayis*, h. e. *ruditas*
& *manifestum Vitium*; vel juxta Hermetem, *Ter malum sit, igno-
rare DEUM*. Quam ignorantiam adeò detestati sunt vel ipsi Gen-
tiles saniores, ut primam scelerum causam eam statuerent.

*Heu prima scelerum cause Mortalibus ægis,
Naturam nescire Deum, — — —*

Silius canit Italicus, Cujus sententiæ verbotenus quasi subscribit in
O. Ravio suo Minutius Felix, Parentem omnium, inqviens, & omni-
um Dominum non minoris sceleris est ignorare, quam ledere. Contra
questio de natura Deorum, vel, ut stilom Tullii ethnicum cum Chri-
stiano permutemus, *Questio de Naturâ DEI ad agnitionem animi pul-
cherrima est, & ad moderandam religionem necessaria*: quando non
tantum pietatem excitat, & verum DEI cultum in hac vitâ post
se trahit, nam prius homo debet DEUM nôsse, quam colere, dictus Mi-
nutius ait, & DEUM colit, qui novit, habet Seneca; quum contra,
judice Augustino, *malè vivitur, si de DEO non bene creditur*: verum
etiam viam nobis aperit, & rationem ostendit ad vitam alteram,
quæ in cœlis est, feliciter aspirandi, utpote, quæ teste Servatore
nostro, in hac DEI cognitione revelata consistit, Joh. 17, 3. quæ
propterea Sap. 15, 3. Radix Immortalitatis, & Jer. 9, 24. unica
Christianorum Gloriatio dicitur. Sicut igitur ob jam dictas rati-
ones aliasq; magni æstimanda: ita piè quoque excolenda ea est, &
debito modo scrutanda. Hinc Ecclesiæ Christi civem qui se pro-
fitetur, in eo totus est, ut in hac cognitione subinde magis ma-
gisq;

Hier. in E-
pistaphio
Nepotiani
ad Helio-
dorum cõ-
scripto T. 1.
Opp. f. 16.
b. Edit. Ba-
sil. Froben.
1516.

Phil. de
Profugis p.
361.

Herm. O
Trism. l. X.
fin.

Sil. Ital. l.
IV. v. 794.

Felix in
O. p. 21.

Cic. l. de
Nat. Deo-
rum c. 1.

Min. F. i-
bid. p. 54.

Sen. ep. 95.
Augl. V. de
Civ. D. c. 10.

gisq; proficiat, adeoq; (quod Pauli votum est Col. 1, 9.) *impleatur agnitione (essentia &) voluntatis divina, in omni sapientia & (ὁ-
 ρήσῃ, sive intelligentia spirituali.* Ne autem mediocritatis fi-
 nes in tanto negotio transiliamus, ne procul (quæ verba Na-
 zianzeni sunt) extra metas curramus, & vel in Ægyptum fera-
 mur præcipites, vel ad Assyrios pertrahamur, h. e. ut Elvias Me-
 tropolitanus Cretensis explicat, ne ad supposititia & aliena
 dogmata, pietatiq; adversantia prolabamur, sed ut finibus no-
 stris disputationes nostras cœerceamus, Daducho opus est, h. e. ip-
 so DEO, in verbo se revelante. *Impossibile enim est, Irenæus inquit,
 DEUM discere sine DEO.* Nos siquidem tantum virium non habemus,
 uti nostrâ ratione assequi DEI cogitationem possimus, cum
 Plutarcho fateamur necesse est. *Principalem enim illam essentiam
 (τὴν ὑπερουρανίαν & ἰστέον) h. e. divinam si quis velit (naturæ & cæcæ
 rationis oculis) intueri, nimio radiorum fulgore, priusquam eam videat,
 cacabitur, iterum Philo inquit. Adeo incomprehensibilis mente,
 ut lingvâ ineffabilis, est salutaris DEI cognitio. Ab ipso igitur
 discamus DEO, quoniam DEUS sit, exemplo Moïsis, qui recen-
 sente Philone, non sperabat se id posse ex ullo alio cognoscere. Ab ipso
 petamus, ab ipso (monente Orosio) audiamus, ipsiq; DEO credamus, si
 verum velimus scire de DEO. Et cui magis de DEO, quàm DEO credamus? Chry-
 sostomus ait. Is verò pro cœlesti suâ sapientiâ tantum luminis nobis
 misellis hominibus est ad mensus, quantum vidit in hâc mortalitate
 nobis ad salutem sufficere. *Ut proinde (quæ egregia est Hilarii
 Pictaviensis sententia) Sol ita videndus est, ut potest videri,
 tantusq; excipiendus est lumine, quantum admittitur, ne si plus velimus
 spectare, minus quoque quàm possumus, consequamur: ita & ratio cœlestis
 in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi. Quantum
 autem sit illud scientiæ divinæ dementum, quod nobis servulis
 suis, non ad mensus unius victum, ut frumenti mensuram servis
 suis Domini singulis mensibus admetiri solent; sed ad totius
 vitæ nostræ victum spiritualem & animarum pabulum ad mensus
 est benignissimus animarum nostrarum Pastor ac Dominus, id verò hâc
 Disputatione sacrâ (quod ipse bene vertat!) paucis ostendemus.
 Illa nimirum sistet nobis Notitiâ DEI Revelatam, non quidem per
 singula membra & capita diductam, (huic enim ista pagellarum angustia
 non sufficeret,) sed in genere**

Gregor.
 Naz. Orat.
 1. de Theol.
 T. 1. Opp. f.
 130.

Iren. l. IV.
 adv. hæres.
 c. 10.

Plut. sine
 libri de Py-
 thia Ora-
 culis p.
 409.

Phil. de
 Prof. p. 561.

Oros. l. V.
 Hist. c. 1.

Chrysof. l.
 IV. cp. 31.

Hilari l. X
 de Trinit.

nerē saltem spectatam, & in unam quasi Summam reductam
atque redactam; hunc tamen in modum, ut *Definitionem* ejus pri-
mò proponat & exponat, deinde fidem & auctoritatem divinam
interponat, hæcquē omnia secus Docentibus opponat. Sic igitur

I. IPSA DEFINITIO NOTITIÆ DEI REVELATÆ KONIGIANA.

Notitia DEI Supernaturalis (vel Revelata) est co-
gnitio DEI uni-trini salvifica è verbo DEI scripto hausta.
König in Theol. Post. Part. 1. §. 23. vel, juxta alios, Revela-
ta DEI Notitia est, quæ è verbo DEI scripto hauritur
& habetur de DEI existentia, essentia & voluntate,
ad salutem generis humani.

II. DEFINITIONIS HUIUS I. ANALYSIS LOGICO-THEOLOGICA.

§. I. Definitum hæc est Notitia DEI vel de DEO
Revelata, voce Revelationis *specialiter & in strictiori significato*
accepta, quæ DEUS sese in verbo suo hominibus revelavit & pa-
refecit. Nam in *ampliori significato* eadem vox accepta, quamvis
DEI ἀποκάλυψιν καὶ φανέρωσιν seu manifestationem notat, sive
ea in natura fiat, sive in verbo. Vocatur & Supernaturalis,
quia, quoad maximam sui partem, non ex naturæ principiis eli-
citur, sed Spiritus S. omnes in eâ conferendâ partes sibi vindicat;
tum etiam quia captum naturæ excedit, adeoque multa continet,
quæ naturâ penitus sunt ignota. Nam licet hæc notitia etiam
nonnulla complectatur, quæ per naturam de DEO nota sunt,
utpote doctrinam de DEI existentia, unitate, perfectione, boni-
tate, sapientia, potentia &c; tamen illorum cognitio, quatenus
ex naturâ & Philosophiâ fuit, admodum languida est, imperfecta
& ad fidem nostram in DEUM vel generandam vel sustentandam
longè impar. Hinc probari illa omnia simul, & præcipuè quidem,
è Scriptu-

¶ Scripturâ S. oportet, quia Scripturæ omnia hæc perfectius nobis proponit, facitq; ut fide divinâ (quod omnino necessarium, & à naturâ vel Philosophiâ præstari haud potest) ea apprehendamus, ut quæ fides solo DEI verbo revelato nititur.

§. 2. Definitio includit tum Genus, tum Differentiam Specificam.

§. 3. Genus è Definito repetendum, est Notitia, non quidem nudè historica, sed practica: non literalis, sed spiritualis: non ægyos & otiosa, sed efficax & operosa, adeoque cum verâ in Christum fide conjuncta.

§. 4. Differentia Specifica desumitur à Principio, Objecto & Fine.

§. 5. Principium hæc non est Natura vel Creatura, sed Verbû DEI scriptum, vel Scriptura S. è quâ solâ primûm hauritur atque habetur illa cognitio. Matth. 11, 27. Joh. 1, 18. Rom. 10, 14. Ebr. 1, 1. 2. 3. Nam ut fide divinâ credamus, esse DEUM, scripturæ opus est virtute & efficacîâ; cum fides & verbum DEI Relata sint, nec oriatur fides, nisi è DEI verbo. Si autem è Scriptura S. primûm hauritur notitia hæc salvifica, & inde in cor hominis fluit; ergo non ex homine ipso ejusq; corde in Scripturam primûm fluit, ut Weigeliani & Novelli Prophetæ ineptiunt. Si è solo verbo scripto est haurienda, ergo caveamus, ne extra illud hæc abripiamur; quia *Scrutator Majestatis opprimetur à gloria.* Prov. 25, 27. Aliiter autem hæc notitia non obtinetur & hauritur è verbo DEI, nisi tum per *piam precessionem*, ut ingeminemus cum Mose ex Exod 33, 13. *Ostende mihi faciem tuam*; quum dicentè Irenæo loc. iam cit. *Impossibile sit DEUM discernere sine DEO*: tum per *sautam limitum in Scripturâ positorum observationem*; Ut enim Mons Sinai certis per circuitum circumdatus fuit terminis: sic in Scripturâ S. certi intelligentiæ & investigationi nostræ præfixi sunt termini atque limites, quos transilire religio nobis esse debet. Tunc autem non transgredimur limites, cum nec ea, quæ in Scripturis tradita sunt, negligimus aut inficiamur; nec quæ tradita non sunt, investigare præsumimus: sed hinc curiositatem humanam compefcimus, illinc rationem sub obsequium Christi captivamus, 2. Cor. 10, 5. Bene & bellè Ambrosius, vel potius (quia libri illi falsò, licet vulgò, Ambro-

Ambrosio tribuuntur } Prosper Aquitanus I. 1. de Vocat. Gent. c. 7. 66
Quæ DEUS occulta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ autem 66
manifesta fecit, non sunt neganda: ne in illis illicite curiosi; in his 66
damnabiliter inveniamur ingrati. 66

§. 6. Objectum est DEUS, ejusque tum *Existentia*, tum *Es-*
sentia, tum *Voluntas*.

§. 7. Pertinet igitur huc *DEI Existentia*, vel quod sit *DEUS*.
De hac nos h. l. duo notamus, (1) quod (2) quæ ea à Theologo sit
probanda.

§. 8. Quoad primum, licet *DEI Existentia*, ut & alia nonnulla,
quæ ad essentiam *DEI* pertinent, etiam è naturæ libro notantur; tamè
è *Scripturæ* etiam libro, & imprimis quidem, in *Theologia* esse pro-
banda omninò judicamus, idque *partim* ut naturalis nostra de *DEO* cog-
nitio, quæ admodum infirma est, confirmetur, *partim* ut fides de
DEO & in *DEUM*, quæ unicè è *Scripturæ* haurienda, genere-
tur, *partim*, ut athei, qui *DEUM* esse negant, eò meliùs fortiusque
è *Scripturis* confutentur, cordaque ipsorum convincantur. Quod
bene notandum contra *Hornejum* & *Calixtum*, qui cum *Thomâ*
existimant, quæstionem hanc, an *DEUS* sit, & quæ præterea lu-
mine naturæ de *DEO* nota sunt, à Theologo non esse probanda,
sed tantum supponenda; nec esse fidei articulum, quod sit *DEUS*,
sed præambulum modò ad articulos: cum tamen summus & prin-
ceps, adeoque primò primus sit fidei articulus, quod sit *DEUS*, ut-
pote cui cæteri omnes ceu fundamento innitantur. Audiamus
potius, quid *Apostolus* dicat *Ebr. 11. 6.* cujus hæc sunt verba: Qui
accedit ad *DEUM*, hunc credere oportet, esse *DEUM*, & esse re-
muneratorem inquirentibus se.

§. 9. *Existentiam* autem *DEI* (quod alterum est) singulæ
Scripturæ voces, singula elementa inspiratione *DEI* scripta lo-
quuntur, (*König* §. 25.) *DEUM*que esse testantur, quatenus *DEUM*
Auctorem agnoscunt. In primis autem & aperitiùs *Existentia* *DEI*
innotescit (§. eod.) tum ex divinis nominibus, quæ *DEUM*, *Jeho-*
vam, *Dominum* omnium rerum esse indicant, quum eundem de-
notent ac significant; tum ex divinis attributis, quæ de *DEO* præ-
dicantur, ac ab essentia *DEI* realiter non differunt; tum ex di-
vinis Oraculis, quibus *DEUS*, ceu testis omni exceptione superior,
de

de se ipſo edit teſtimonium ; v. *Eſai.* 40, 26. c. 41, 4. 10. 13. 14. 17. 20. 27. c. 48, 11. ſeqq. tum è *variis manifeſtationum & apparitionum divinarum generibus*, in Volumine Biblico deſcriptis, quæ luculentiffimè DEUM eſſe docent, tum *ex operibus divinis* per univerſam Scripturam obviis : quorſum pertinent DEI miracula, beneficia, ſupplicia, vaticinia, item creatio, conſervatio, Eccleſiæ gubernatio &c. quæ omnia DEUM eſſe clamitant. Quod obſervandum contra *Atheos*, DEUM negantes, tum veteres, tum recentiores, quorum varia genera, varias claſſes, adeoque & varias Atheiſmi ſpecies oſtendit B. Calovius T. II. Syſt. LL. Th. p. 111. - 113. item p. 132. --- 134. Confer eundem d. l. p. 39. & 97. ubi ex Voëtio contra *ἀθεϊστικόν* Remonſtraticum diſputat, non dari Atheos directè ſpeculativos, qui non tantùm ſenſu omni divinitatis ſunt deſtituti, ſed etiã habitu contrario imbuti. Vide & ipſum Voëtium Diſpp. Select. T. I. p. 182. 194. ſeqq. ubi inter alia docet, Atheorum numerum maximum in *Italia* eſſe, ubi *vulgatus liber horribilus de tribus Impoſtoribus*, & præter *Machiavellum* publici Atheiſmi Doctorem, (a) Petrum Aretinum, Julium Cæſarem Vaninum, cum tredecim ejuſdem miſſionis, plurimi fuerint ex profeſſo athei ; exinde verò, tanquam impietatis arce, omniſq; atheiſmi fœcundâ matre, in *univerſam Europam* dimanâſſe, imprimis in *Galliam*, ubi teſte Tholoſano (T. 3. Syntagm. artis mirab. c. 1.) Societas atheorum ad 60000. excreverit, imò una *Lutetia* Anno. 1623. jam 50000. teſte Merſenno (Comment. in Gen. p. 671.) continuerit; in *Hispaniam*, quæ certare poſſit hâc in parte cum *Gallia*, itemq; in *Belgium*, quod Libertinorum omniũq; fanaticorum monſtrorum *Atricam* dixit, & atheiſmorum ſententiam ; ac ſi latè accipiatur vox athei pro eo, qui nullam religionem

exter-

- (a) Hunc fuiſſe Atheum, vel ex ejus effigie patet, ab Excell. Dno D. Dan. Blanckio, Sereniſſimi Polon. Regis Medico, Amico meo perquam ſingulari mihi exhibitâ, quæ hanc habet *ὑποφωτισμένη* abominandam : *Queſto è PIETRO ARETINO Poëta Toſco, che d' ogni un diſſe mal, eccetto che di Dio, Scuſandoſi, non dir, non lo conoſco.* Quod ita verti poteſt ; Hic eſt *Petrus Aretinus* Poëta Toſcanus, Qui de omnibus malè dixit, excepto DEO, hâc excuſatione uſus ; *Non novi ipſum.*

externè in communione Ecclesiæ alienjus visibilis in Christiani-
simo ingenuè proficetur, nullibi talium numerum majorem inveni-
ri judicat Voërius ipse, quàm in suo Belgio: eosq; vulgò Li-
bertinos aut Semi-Libertinos, aut Neutrales vocari ait. Confer iti-
dem D. Joh. Mülleri Atheismum devictum, & Theophili Spizelii
Scrutinium Atheismi Historico-Etiologicum, ut & Epistolam de
Atheismo eradicando ad Reiserum, hujusq; Epistolarem Disserta-
tionem de eadem materiâ ad Spizelium, aliosq; Auctores.

§. 10. Postmodùm Notitia hæc revelata pro Objecto quoque
habet *DEI Essentiam & Naturam*, vel *quid sit DEUS*. (Kön. §. 24.)
utpote quomodo vocatur, (§. 27. seqq.) quomodo definiatur, vel
potius describatur, (§. 34 - 36.) quæ ejus sint attributa, quòd
nimirum sit perfectus, unus, verus, bonus, independens, æternus,
immensus, immutabilis, omniscient, omni-
scius, sanctus, justus.
&c. (§. 37. seqq.) Quæ omnia pertinent ad Essentiam *DEI abso-
lutè* spectatam (§. 32. 33.) Item *quis sit DEUS*, sc. *Pater,
Filius & Spiritus S.* quæ consideratio *DEI relativa* est. (§. 75. seqq.)
Huc referuntur Opera divina, tum ea, quæ ad intra; tum ea, quæ
ad extra sunt. (§. 142. seqq.) Ergò ad revelandam & salutiferam hanc
de Essentia *DEI* notitiam non sufficit, præter Existentiæ divi-
nam, aliquot *DEI* tantùm nôsse & credere attributa, ut quòd unus,
æternus, justus, sapiens & potens sit, ut Sociniani & Remonstran-
tes falsò opinantur: sed & ad eandem requiritur, ut explicite cogni-
tum habeamus, quisnam sit unus ille, æternus, perfecte justus, sa-
piens & potens *DEUS*, sc. *Pater, Filius & Spiritus S.* Hinc arti-
culus de SS. Trinitate nullo non tempore fuit creditu necessari-
us, & à nemine dogma illud sine salutis dispendio ignorari, mul-
tò minùs negari potest. (König. §. 80.) Quod notandum con-
tra Arminianos, Socinianos, Calixunos & alios.

§. 11. Huc refertur à nonnullis & *Voluntas DEI* tum *le-
galis*, tum in primis *Evangelica*, de quibus omnibus in libellis Di-
dacticis specialiter agitur. Hic graviter impingunt Arminiani cum
Sociniani, qui necessitatem credendi ad voluntatem *DEI* tan-
tùm, & ad ea, sine quibus divina voluntas præstari non potest, re-
stringunt, atque ita articulos fidei de *DEI* natura, personis, at-
tributis & operibus creditu ad salutem minùs necessarios esse exi-
stimant.

§. 12. Finis est salus generis humani. Hinc Auctor noster (S. 23.) *salvificam* vocat hanc DEI cognitionem, quia est causa media seu ratio perveniendi ad salutem, Jer. 9, 24. Sap. 15, 3. Joh. 17, 3. Salus autem totius generis humani finis hujus Notitiæ DEI Revelatæ est, ratione *divina intentionis* atque *oblationis*, & *ratione finis à Christo Redemptore intenti*, quia DEUS omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 1. Tim. 2, 4. & quia Christus pro omnibus est passus, Esai. 53, 6. ejusque cognitio omnibus oblata. Si verò *applicationem* spectes à parte hominum, & *finem in executione*, sive *eventum*, tunc salus solorum *Credientium* pro fine hujus Notitiæ habetur.

II. APODIXIS BIBLICA,

ex utroque Testamento desumpta.

Sc. I. EX VETERI.

Esai. LIII. 11.

ברעתו יצדק צדק עבדו לרבים:

In Scientiâ sui justificabit justus Servus meus multos.

Durch sein Erkentnis wird er / mein Knecht / der Gerechte / viel gerecht machen.

DICTI HUIUS PROPHETICI EXPLICATIO.

&

ad Definitionem præmissam, quoad
singula membra,

A P P L I C A T I O.

§. 1. Hic Jesaiz locus, quem B. Lutherus T. 3. Lat. Jen. f. 412. insignem locum, & Breavius in h. l. unum è præcipuis totius sacre Scripturæ Dictis vocat, nobis exhibet *Definitum*, ut & *Genm*, quod est *Scientia*, seu *Notitia* vel *Cognitio Messia*, adeoque & DEI. Non autem hanc vocem *scientia* cum Chaldo & Vulgato sumimus

sominus activè, sed passivè; vel, non pro sub-*sed* objectiva scien-
 tia accipimus, hoc sensu: *Scientiâ sui*, quâ cognoscitur & scitur per
 prædicationem Christus, non *scientiâ suâ*, quam ipse Christus ha-
 bet ac possidet, homines justificat. Licet enim mirabili suâ sci-
 entiâ viam justificandi invenerit, & justificandos cognoscat Mes-
 sias; quia tamen hoc non est Christo peculiare, sed cum Patre &
 Sp. S. commune, melior omnino est passiva vocis Interpretatio,
 quæ & modum justificandi clariùs exponit, quòd sc. Christus per
 scientiam agnitionemq; sui, seu fidem in se, homines justificet & sal-
 vet. Est igitur hæc scientia, ut ex contextu patet, rerum de Mes-
 sia horrendis passionibus, toto hoc capite expositis; scientia de
 ejus humilitate, excisione, sacrificio & exaltatione, & per conse-
 quens, rebus aliis, quæ ad salutem nostram pertinent. Scientia
 autem hæc est *revelata*, ut patet ex v. 15. c. 52. Esaiæ, ubi Prophe-
 ta, *Multi*, inquit, *quibus non est narratum* vel enunciatum, sive,
 quod idem, *relatum & revelatum de eo*, sc. Christo, utpote de quo
 Ethnici non audierant, ut Judæi; *viderunt*, i. e. illuminabuntur
 Christi agnitione; & *qui non audierunt, intelligent*. Et v. 1. c. 53.
Quis credidit auditui nostro, vel prædicationi nostræ verbi revelati?
 Et *brachium DOMINI super quem revelatum est?* ubi quidem per
 brachium DOMINI vel ipse Christus, vel potentia divina in
 Christo intelligitur; sed doctrina ejus verbo revelata, ut & miracu-
 la simul includuntur, utpote per quæ potentiam suam Christus
 ostendit atque revelavit hominibus. Notitia igitur hinc intelli-
 gitur non nuda & theoretica, sed (quia verba notitiæ affectum cor-
 dis apud Ebræos connotant) cum verâ in Christum fide conjuncta,
 & practica, adeoque cognitio fiducialis, per quam solam Christus
 salutariter cognoscitur. Hinc justificari dicimur cognitione Mes-
 sia, quod fidei effectum est.

S. 2. Habes hic quoque *Principium* hujus Notitiæ, scil. Ver-
 bum DEI, tum ore, tum calamo annunciatum & inter gentes di-
 vulgatum, adeoque tum prædicatum, tum scriptum, quo utroque
 modo Messias, ex morte excitatus, gentes multas asperget c. 52.
 15. h. e. Evangelii doctrinam per Apostolos ad gentes propagabit
 quod, inquam, non tantùm per illorum ora, sed & per illorum
 scripta factum. Ex hoc Evangelii verbo fluxit in *Corda gentium*

vera Filii DEI Notitia, quando nimirum ex Evangelio Christus
Mediatorem & Salvatorem suum agnoscunt. Neque tamen
hoc principium verbo *Justificandi* hic exprimitur, ut vult Sancti-
us Jesuita in h. l. cui iustificare hic est viam aperire ad justitiam,
seu, quod idem, docere verbo, quomodo quis justus esse possit;
quâ tamen longè plura, longè majora vox justificationis complecti-
tur, ut in articulo de Justificatione à Nostris pluribus docetur.

§. 3. Habes porrò hic *Objectum* salvificæ hujus notitiæ, nimi-
rum DEUM, & quidem DEUM Patrem, quem Propheta in hoc
& præcedenti capite introducit de Filio suo differentem. Is
Christum hic & v. 13. c. 52. vocat servum suum, & ipse dicitur
Ishovah, cujus brachium v. 1. seu virtus & potentia 1. Cor. 1.
24. Christus est: qui ipsum (Filius suum) percussit, (hinc Mes-
sas v. 4. מכה אלהים percussus DEI vel à DEO, sc. gravissimis
& divinis plagis dicitur) quique in ipsum omnia nostra peccata
fecit impingere, v. 6. qui conrivit ipsum, & ægrotare fecit, v. 10. Fi-
lius ipse DEI, qui sui cognitione nos justificat, (de hoc enim, non verò
de Josuâ, vel Esra, vel Serubabele, vel Esafa, vel Jeremis, vel Josia, vel po-
pulo Judaico captivo, ut voluit Judæi; & quidem non typicè, ut
Socinus statuit, sed propriè & simpliciter agit hoc caput. Act.
8. 34. 35. v. Weller. in h. l. p. 9. seqq. & Schmid. Coll. Bibl.
pr. p. 308.) dicitur Servus DEI Patris, quâ appellatione huma-
nitas pariter & humilitas ejus notatur, nam secundùm humani-
tatem exinanivit se, & formam servi, h. e. hominis nudi & pec-
catoris, absque tamen peccato, induit. Notatur & hoc ipso of-
ficium redemptionis, à Patre illi commissum, quod Filius, tan-
quam fidelis DEI Servus, sponte suscepit. Phil. 2, 7. seqq. Ni-
hil autem hæc appellatio *Divinitati* ejus præjudicat, ut falsò qui-
dem & impiè opinantur Sociniani. Nam formæ hujus servilis ac-
ceptione æterna ejus divinitas, quæ sine mutatione mansit, ne-
quicquam læsa est; nec hæc in se servivit in humilitate, sed humili-
tatem servilem humanitatis sibi tantùm fecit propriam. Perpe-
tuò igitur nos contra Socinianos, ita inferentes, *Servus DEI est,*
Ergò summus DEUS non est; cum Theologi nostris distingvimus inter
DEUM in essentiâ suâ spectatum, cui hæc non competunt; & inter
DEUM in *inveniam* voluntariè consideratum, & ut in carne

masi-

manifestatam, cui omnino competuat. Adde, quòd in toto
 hoc capite *Divinitas Messia* pluribus ostendatur, quando tum Ipse
 DEUS dicitur, ut nonnulli cum Galatino vocem הויה v. 4.
 per Szgol legunt, hoc sensu, הויה הויה percussus DEUS
 quà lectione plurimos Judzos ad Christianam fidem esse conver-
 sos Sanctius in h. l. scribit. Neque hæc lectio aliquid absurdi ha-
 bet, est enim & Messias noster DEUS, & est percussus: quemad-
 modum alibi de sanguine DEI legimus 1. Joh. 1, 7. & quidem
 proprio Act. 20, 28. & de Autore viræ crucifixo c. 3, 15. Ut
 ita causâ nulla sit vel Bellarmino & Lud. Capello, sacrum textum
 hic in vocabulo הויה corruptionis arguendi; vel Constantino I
 Empereur, lectionem hanc cum Szgol adeò fugiendi: quanquam
 non diffidendum sit, alteram lectionem per Tzere, ubi vox הויה
 ponitur in statu regiminis, huic, quæ est per Szgol, esse præfere-
 dam, quia major Codicum pars illam confirmat, Masora ei suf-
 fragatur, & circumstantiæ textûs approbant: tum quando Messias
 divina attributa, utpote cœlestis sapientia & prudentia, à qua
 Pater cœlestis hunc suum servum commendat v. 13, c. 52. (Con-
 fer Col. 2, 3.) ut & divina virtus & potentia c. 53, 1. justitia
 sc. essentialis v. 11. sed non exclusâ habituali seu inhærivâ, quam
 in humanitate habuit v. 9. neque activâ seu satisfactoriâ, quæ ad
 opera ejus pertinet, & toti Christo competit; juxta quam DEO
 Patri suo servivit, & sanctissimâ suâ obedientiâ & passione perfe-
 ctam peperit justitiam; tum divina opera, ut satisfactio pro pec-
 catis c. 53, 4. 5. generis humani redemptio v. 10. 12. pacis spi-
 ritualis reparatio, animarum sanatio v. 5. Ecclesiæ collectio v. 8.
 10. universalis Evangelii prædicatio c. 52, 15. justificatio ibid.
 & c. 53, 11. hostium spiritualium devictio v. 12. tum quoque di-
 vina gloria humilitatem ejus consecuta attribuitur, scil. gloria a-
 dorationis c. 52, 15. ad dextram DEI Patris exaltationis c. 53,
 8. agnitionis & adhesionis v. 11. 12. Ubi autem DEI Patris &
 Filii sit mentio in Scriptura S. ibi, juxta Regulam Theo-
 logorum hermenevticam, nec *Spiritus S.* excluditur. Sicut autem
 essentia DEI, quæ existentiam ejus præsupponit, hic exhibetur: i-
 ta voluntatem quoque ejus Evangelicam, cujus vestigia per totum

hoc caput passionale sparsa videmus, vel sola vox servi in dicto nostro Prophetico ostendit. Voluit enim DEUS Pater, ut Filius ejus cum humanâ naturâ servi formam indueret, & officium Redemptionis suscipere, omniaq; quæ ad salutem generis humani pertinent, promptè perageret: quæ omnia ad nutum & voluntatē Patris quoque præstitit fidus hic DEI Servus. Voluit item, ut cognitione Christi, vel fide in Christum justificentur & salventur homines, Quod & in multis millibus hominum est impletum, qui hoc medio salutem feliciter à DEO sunt consecuti. Tantum & de Objecto.

§. 4. Finis hujus Notitiæ tandem exprimitur, qui est *Justificatio* vel *Salus*, quæ justificationem sequitur. Nam eadem ratione salvamur, quâ justificamur. Hinc Paulus utrumque conjungit Rom. 8, 30. inquit: *Quos DEUS justificavit, hos & glorificavit.* Propterea hæc Notitia ab aliis vocatur salutifera, quod de naturali dici non potest. Salutem autem totius generis humani finem esse hujus Notitiæ ratione intentionis & acquisitionis, & salutem solorum credentium ratione applicationis, supra dictum. Idem quoque docet Propheta noster. Hinc dicit, Christum justificare *multos*, quod de eventu apud homines quidam Nostratum interpretantur, & *Multos* opponunt *Omnibus*; sic Gerh. L. de Justific. §. 13. exponit, *Multos justificat*, h. e. quotquot in ipsam credunt. Verùm fatius est, sentente Dn. D Seb. Schmidio, hæc loci per *multos* intelligi *omnes illos*, quorum iniquitatem Christus portavit; ut statim v. eod. sequitur, *Et iniquitatem eorum ille portavit.* Malumus itaque, ait ille, לרבים esse ampliativum, q. d. Et quidem non ut ad paucos tantum justificatio illius pertineat, sed ad multos, quam multi etiam futuri sunt, qui unquam sunt victuri. Nec refert, inquit Schmidius, quod non justificentur omnes homines justificatione plenâ. Nam hæc apud Prophetam DEUS non loquitur de eventu quoad homines; sed de officio & fine officii. Officium nimirum Messie hoc esse debuit, ut per scientiam sui seu fide in se justificet; hoc verò officium gerere debuit לרבים pro multis seu omnibus, h. e. in commodum omnium, ut pertineat ad omnes: ex quibus quando actu non omnes planè justificantur in actu judiciali, culpa est, quod agnoscere eum nolunt. *Lamed* ergo voci לרבים præfixum, juxta eun-

eundem nō est Lamed Accusativi, ut plurimi cum Kimchi exponunt, *Justificabis multos*, qui quidem bonum hoc ipso sensum faciunt; sed quia vix clarum in Scriptura S. habemus exemplum, in quo 7 nota Accusativi sit, nos potius pro defensione sensus à nobis modò ostensi, dicimus, esse 7 Commodi, vel, si mavis, Specificationis, q. d. justificabis per scientiam sui, ita ut hæc justificatio ad multos pertineat. Cæterum quòd verbum *יִצְדֵּק* (justificabit) habeat significationem *judicialem & forensē*, notans absolutionem in judicio, pronuntiationem, declarationem & admissionem alicujus, tanquam justii; non verò significationem *physicam*, ut volunt Romanenses, qui justitiæ infusionem ex hoc textu Prophetico, sed frustra, probare satagunt, id verò in Articulo *de Justificatione*, (quorū etiam hæc omnia pertinent) invictè probatur, assertur, vindicatur. V. super h. l. D. Jac. Wellerum, Glasium, Fechtium, & in primis D. Seb. Schmidium in Colleg. Biblico priori p. 307. seqq.

II. EX NOVO TESTAMENTO.

Joh. XVII. 3.

ἡ *ὅτι* δὲ *ἐστὶν* ἡ *αἰώνιος* ζωὴ, ἵνα *γινώσκῃς* ὅτι τὸν *μόνον* ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν *ἀπέστειλες* Ἰησοῦν Χριστόν.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti, JESUM Christum.

Das ist das ewige Leben / daß sie dich / daß du allein warer Gott bist / und den du gesandt hast / JESUM Christum erkennen.

DIUTI HUIUS EXPLICATIO ET APPLICATIO.

S. 1. *Definitum & Genus* hic exprimitur verbo *γινώσκεις*, *cognoscere*, quòd non intelligitur nuda seu historica notitia, quatenus hæc vox illam necessariò requirat & supponat; sed juxta idiotismū linguæ sanctæ talis, quæ cum affectu & effectu sit conjuncta, idq; propter excellentiam Objecti cognoscendi, quod est summum Bonum. Verba enim notitiæ apud Ebræos sæpe cordis fiduciam significant. V. Job. 19, 25. Ps. 9, 11. (Darumb hoffen auff dich / die deinen Namen kennen, scire nomen DOMINI, cognoscere DOMI-

DOMINUM est verâ fide ipsi adherere, in eo sperare) Jer. 9, 24. Esai. 53, 11. Luc. 1, 77. Complectitur itaque illa cognitio (1) notitiam veri DEI & Christi Mediatoris, (2) firmum assensum, (3) fiduciam in DEO & Christo Mediatore recumbentem & acquiescentem, & tandem (4) effectum, sinceram nimirum DEI & Christi dilectionem, quâ vera ac salutaris DEI & Christi cognitio comprobatur ac demonstratur. Cognitionem autem hanc esse *revelatam* sc. verbo, Christus ipse docet, v. 6. ejusd. capitis inveniuntur: *Manifestavi seu revelavi nomen suum hominibus.* Conf. v. 26. quod aliâ ratione quàm Verbo factum non fuit: quandoquidem per nomen DEI Patris hic & Act. 19, 15. propriè intelligitur omne illud, quicquid de essentia & voluntate DEI nobis est patefactum seu revelatum.

§. 2. Quo ipso simul Notitiæ hujus *Principium* insinuat, h. e. Verbum DEI, ex quo illa hauritur & habetur. Nam hujus sæpe mentionem facit Christus in toto hoc capite, non tantum ut fuit *predicatum* tum à se ipso, utpote qui verbo discipulos suos feliciter docuit & salutariter informavit v. 6. 7. 8. 14. eiq; nomen Patris sui notum fecit v. 26. tum ab Apostolis, quos elegit & constituit Christus, ut Verbum veritatis in mundo propagarent & prædicarent, v. 17. 18. 19. 20. c. 15, 16. Conf. Rom. 15, 16. quem in finem ipsis sanctificationem per veritatem à DEO precatur v. 17. 19. sed etiam ut fuit *scriptum* seu literis consignatum: quando fideles usque ad finem mundi, pro quibus simul hæc Christus orare dicitur, per Sermonem Apostolorum non modò prædicatum & ore divulgatum, sed & scriptis comprehensum, & in mundo ab iis relictum crediderunt v. 20. Ad hæc versu ultimo laudat Capitis Salvator promittit, se nomen Patris sui in posterum ulterius ad finem usque mundi patefacturum fidelibus esse. Id quod non nisi verbo DEI scripto, imprimis post Apostolorum tempora, factum est, hodieq; fit, & per insignem DEI gratiam fiet in extremam usque mundi partem.

§. 3. Objectum hujus Notitiæ est iterum DEUS, & quidem (1) *DEUS Pater*, quòd sc. ille, non exclusis tamen reliquis Personis, sit *tum DEUS*, & quidem non metaphoricè, sicut Magisterus vocatur DEUS, Exod. 22, 28. Ps. 82, 6. hæc catachresticè,

est, sicut diaboli & idola vocantur Dii, *tum verus DEUS*, qui essentiam divinam habeat, qui sit infinitus, immortalis, verax, misericors, justus, immensa sapientiae & potentiae; *tum solus verus DEUS*, quod extra eum & praeter eum, non sit alius DEUS. Ubi contra Unitarios sive Socinianos, qui ad evertendum SS. Trinitatis mysterium hoc dicto Biblico (quod & Patres orthodoxi Arianorum Achillem olim vocarunt,) pessime abutuntur, & exinde concludunt, solum & unum Patrem, non autem Christum esse verum DEUM, bene notandum, quod particula exclusiva *solum* à Deitatis communione hic non excludat reliquas duas Trinitatis personas, secundum Regulam Logicorum, Exclusiva non excludit concomitantia; sed omnia illa, quae sunt extra divinam essentiam, ut creaturas & Deaestros gentilium, qui non sunt verus DEUS, & tamen certatim colebantur in mundo. Confer 1. Cor. 8. §. 6. Filius enim & Spiritus S. non minus sunt solus verus DEUS, quam est Pater 1. Joh. 5, 7. & de Christo eod. cap. 7, 20. dicitur, quod sit verus DEUS, eodem modo, quo Pater h. l. verus DEUS dicitur. *Tum & hic describitur ut DEUS Pater*, adeoque ut prima persona Trinitatis, quae Filium habeat, quem in mundum misit, ut mediatorem generis humani, quod opus redemptionis perficeret, agendo & patiendo legem impletet, atque ita vitam aeternam nobis acquireret; quae ipsa missione Voluntas quoque DEI, in primis Evangelica, indigitatur. (2) *DEI Filius*, qui h. l. non excluditur, sed, ut ex textu patet, cum Patre conjungitur, & pari ac eadem omnino ratione in eius & Patris cognitione vita aeterna consistere dicitur, ut sensus sit: Hæc est vita aeterna, ut te Patrem & IESUM Christum, quem misisti, cognoscant esse solum verum DEUM. *Solum* propter multitudinem Deorum gentilium; *Verum* propterea, quod Dii gentilium non sunt *hij quæ DEUS*, Gal. 4. 8. Vel etiam posset dici, Christum DEI Filium h. l. cum Patre junctim per Exclusivam Deaestris gentilium opponi; ut Mediatorem verò à DEO distingui, ut ita sensus esset, in *θιούωσις & χριστούωσις* cardinem salutis verti. Adde & hoc, quod, cum cognitio salvifica fiduciam etiam includat, eo ipso quoque Christus Objectum fidei salvificæ *statuatur*; jam verò soli DEO jubemur considerere. Tria au-

rem hęc de Filio sunt cognoscenda, (a) quod sit à DEO Patre in hunc mundū missus per incarnationē, ad officiū mediatoriū peragendū; ad quam missionē ipse sæpius provocat. (b) quod sit **JESUS**, i. e. Salvator, tum merito seu bonorum acquisitione, tum efficacitā seu bonorum promeritorum applicatione. (γ) quod sit **Christus**, i. e. unctus secundū humanam naturam infinitis donis Spiritūs S. in Regem, Prophetam & Sacerdotem. (3) **Spiritus S.** qui nec ab Objecto Notitię hujus salvificę hęc excluditur, (α) quia cum Patre & Filio est unus **DEUS**, (β) quia is quoque misit Christum, secundū humanitatem suam spectatum, *Isai. 61, 1.* (γ) quia Filius **DEI** idē vocatur **Christus**, quod unctus sit Spiritu S. sine mensurā, *Pl. 45, 8. Joh. 3, 34.* (δ) quia sine Spiritu S. nemo potest Christum vocare Dominum. *1. Cor. 12, 3.* Neque exinde sequitur, Spiritum S. non esse Personam divinam, quod Patri & Filio hęc non annumeretur, ut **Smalcus Macedonium** testatus, contendit. Nam (1) hęc argumentandi ratione nec Pater esset persona divina, quia Spiritus S. cum Filio conjungitur, & Patris nulla sit mentio *Joh. 1, 33. Rom. 9, 1.* quemadmodum factā mentione Patris & Spiritūs, nulla sit mentio Christi *1. Cor. 3, 16.* (2) Nec necesse est, ut in omnibus Scripturę locis Spiritus S. Patri & Filio adjungatur. Sufficit, quod id fiat in **Baptismo** *Mc. 28, 19.* & in voto **Pauli** *2. Cor. 13, 13.* (3) Spiritus S. hic non idē omittitur, quasi non sit persona divina; sed quia **Christus** loquitur tanquam **Mediator** noster, respectu officii sui **Prophetici** jam absoluti, & **Sacerdotalis**, quoad actum passionis & mortis, in quo se glorificari petit, præstandi, ad quod utrumque in terris peragendum missus erat à Patre, non à Spiritu S. à quo non erat genitus: divinarum enim personarum nulla mittitur, nisi quæ ab alia est.

§. 4. Restat **Finis**, qui est **salus æterna**. Ita enim hęc **Christus**: *Hęc est vita æterna, ut cognoscant te etc.* Dicitur autem hęc salutaris cognitio **vita æterna**, non **formaliter**, quasi scilicet **vita æterna** sive tota **beatitudo** juxta **formalem** suam rationē consistat in **beatitudine** istā & **visione** in **cælis** futura, ut cū **Augustino** nonnulli volunt **Scholastici**; hęc enim tantū pars est **beatitudinis**, non tota **beatitudo**, quæ utique multo plura complectitur, ut **perennem** **DEI** glorificationem, cum **Angelis**

converſationem, & ſimilia, praxin magis, quàm theoriam concer-
 nentia. Neque ſcopus Chriſto eſt, hoc loco agere de vitâ æternâ,
 in quo ea formaliter ſit poſita; ſed de inchoatione ejusdè in hâc vitâ;
 verùm *cauſaliter*, quia cognitio hæc eſt cauſa, medium ſeu ratio perve-
 niendi ad vitam æternâ, phraſi Scripturæ uſitatâ, Rom. 7, 7. 13. c. 8. 6.
 Joh. 3, 19. Phil. 1, 13. quomodo Evangelii vitâ æternâ dicitur Ioh. 12,
 50. Ponitur igitur vox vitæ æternæ hîc per Meronymiam effecti pro
 cauſa vitæ æternæ, medioq; & organo, quia cognitio hæc ad vitam æ-
 ternam nos ducit. Confer Sap. 15, 30. Ducit autem nos ad vi-
 tam æternam *tum inchoatiuè* in hâc vitâ, dum præguſtum quen-
 dam futuri ſæculi exhibet, Ebr. 6, 4. 5. *tum conſummatiue*, poſt
 hanc vitam, ubi ſine interruptione poſſidebimus beatam hanc vi-
 tam. Confer etiam 1. Cor. 13, 9. 10. 12. 1. Joh. 3, 2. Si igitur Co-
 gnitio DEI revelata, vel ex Evangelio hauſta, cauſa eſt Salutis vel vi-
 tæ æternæ, ſequitur, vitam æternam eſſe ejus ſinem & effectum. V.
 Auctoris noſtri Diſputationè de *θεωλογικῆ* ſalutari ex loco præſenti,
 ut & Diſpoſitionem Homileticam in hoc Dictum, inter Diſpoſitio-
 nes, quas in univerſam Theologiam idem conſcripſit, p. 30. ubi ex
 illo proponit *tum* vitæ ſalutis terminum ultimum, *tum* ipſam viam
 ſeu medium unicum.

T A N T U M.



COROLLARIORUM

ſupplens locum

PARADOXORUM SACRORUM

ΕΝΔΕΚΑΣ.

1. Bonus Logicus ſenſu Scripturæ eſt bonus Ethicus.
2. Optimè DEUM colit, qui Logicè colit.
3. In Theologia Subſtantia nonnunquam dicitur Accidens.
4. Adam eſt, & non eſt Imago DEI.
5. Homo integer, poſt translationem ex hoc mundo, propriè ſal-
 vari non potuit.
6. Imago DEI in hominibus adhuc reliqua eſt, & non eſt reliqua.
7. Patres Concilii Florentini Concilium Conſtantinopolitanum I.
 dum illuſtrârunt, (additâ voce *Filio*, quòd ſc. Sp. S. & à Fi-
 lio procedat) verè adulterârunt.

8. Missio Spiritus S. & aeterna est & temporalis.
 9. Spiritus S. mittit Filium & non mittit.
 10. Apostoli dant, non mittunt Spiritum S.
 11. Conversio prima & secunda datur & non datur.

* * * * * * * * *

Ad

Doctissimum Respondentem.

Nōse DEUM summa est Sapiētia, Eumque
 vereri:

Illud at è Verbo discis utrumque sacro.

1. *es. i. v. 2.* Legem ergo DOMINI Tu versa mente manūque,
 BAYSTRUP; sic sapiens, sicque beatus eris.

2. Qvalis enim palma est, labens prope confita flu-
 men,

Quæ fructu pariter frondeque luxuriat:


Talis tors hominis $\left\{ \begin{array}{l} \text{noscentis} \\ \text{metuentis} \end{array} \right\}$ Numina; quicquid

Is modò susceptat, prosperat Omne DEUS.

3. Quum contrā pereat, ceu gluma, Caterva malo-
 rum,

Qui neque noverunt, nec timuere DEUM.

P. Hofman D.



Solvere subtiles nodos artesq; Sinonum,

Artis opus, laudem id conciliare solet.

Talia si praestes, Respondens, laude veheris:

Pierides fundent grandia dona tibi.

Te

*Te Pater in caelis habitans regat atq; gubernet,
Terrigenis ut sis utilis atq; DEO!*

Lm̄q; apposuit

Wenceslaus Johannides,

Gymn. Thor. P.P.

Qualiter occultum repetitis ictibus ignem
Excitat illius chalybi ferroq; pyrites,
Attrituq; poros subit, abstrusosq; recessus
Immeat, & teretem fibris eviscerat imis
Flammam, quæ se mox in apertas porrigat au-
ras,

Ac, quæ sit data porta, ruat. Sic omnia vincit
Improbis arte labor, viresq; acquirit eundo;
Nunc super abscissi prærupta cacumina Pindi,
Nunc super æthereas scandit sublimior arces
Palladis, æternamq; facem, quam dextra Prome-
thei

Sustinet, alternis gestit subducere palmis.
Id præsens loquitur *Specimen laudabile*, mentem
Quo cupis impleri divinis ignibus, haustus
Numinis è puro & cœlesti dogmate. Cœptis
Adsit *Ter sanctus*, (cujus Solennia jam jam
Christicolùm celebrat cœtus) *Ter maximus Ignis.*
deprop. gratulab.

M. Johannes Sartorius, P.P.

Nosse

Nosse DEUM Summa est sapientia, laudeq; di-
gna,

quæ nos ætherio collocat ipsa loco.

Hanc Tu cum tradis, Respondens docte; Jehovah
dilatans Nomen multiplicasq; pium.

Felices addet successus ille labori,
ut noscant studium Templi Scholæq; tuum.

*Politissimo Respondenti gratulati-
onis ergo scripsit.*

M. Martinus Böhmi

P. P.

Chære, DEO sacram cur scandis Petre cathedram?
Petrino forsitan niteris esse loco?

Ritè facis, veræ bona sunt hæc signa Salutis,

Ferventis monstras Religionis iter,

Curre modo, ætheria decerpes præmia Sedis,

Depones fessum militiâq; latus.

Haud multa; est multum Tibi corde precamur, A-
mice,

Ut durent Vita secula multa tua.

Ita ominabatur pereximie

indolis atq; eruditionis,

Respondenti

Adamus Borsii,

Tb. Ung.

Est

Est Tibi mens terras alio sub Sole calentes
Cernere, cum nostram linquis, Amice, Scho-
lam.

Hinc scandis Cathedram docto cum Præside do-
ctus,

Et nobis monstras dogmata vera DEI.

Qvis non sponte tuos conatus laudet? & o-
pceat


Ex animo Musis fata benigna tuis.

Accino vota lubens, adsit supremus JOVA,

Atq; redux PATRIÆ commoda magna feras.

*His sincerissimo suo Amico ex
sincero animo gratulati
voluit debuitq.*

S. Schröder, Mariæb. Pr.



Perfectus liber est Naturæ, nam DEUS i-
psum

Scriptis perfectè, nec tamen ille docet,

Quali Supremus nobis sit mente colendus.

Cur? quia perfectus nullus habetur homo.

Hinc DEUS, ex quo illum possemus noscere,
librum

Scriptis adhuc alium, quidat ad astra viam.

Quem

Quem tu cum volvis, doctè & defendere per-
gis,

Gratulor ex animo, cunctaq; fausta precor.

Nosse DEUM rectè summus labor: hinc quoq; re-
ctè

Nolenti, Christus præmia larga dabit.

I, qui Notitiam pergis monstrare *Supremi*

Felix, & Patriæ commoda mille feras,

*Ornatissimo Respondenti ap-
posuit imq.*

Johannes Agner, Nitra Szer-
daheliensis Hung.

